

SIMONIS PISTORII
OPPOLIENSIS SILESII,

Epigrammatum
Oeternio Duodecimus,

NOBILITATE GENERIS, VIR-
TUTUM LAUDE, DOCTRINA, ET
PIETATE SINGULARI, ORNA-
TISSIMO VIRO D. SEVERINO
MORSTINIO

à Rátiborsko,

donatus.

Ad Lectorem.

*Carmina digna legi sunt forsitan hac quoq;, Lector
Optime, qua rursus mitto legenda tibi.
Si quandoq; legis de rebus scripta prophanis,
Cur non de sacris hac quoque pauca legas?*



Nobilitate generis & eruditione præstanti Viro

D. SEVERINO MORSTINIO

S. P.

ETSI non dubito, Nobilis SEVERINE, optimè tibi jam dudum perspectum esse, quàm te & amem & observem, tamen visum est mihi, & hujus opusculi sub nomine tuo editione idem nunc propagare, & publicè coram omnibus testari. Dignus enim es, ut pro tantâ, quâ excellis eruditione, & singulari, quâ ornatus es humanitate, & ameris, & magnifias, non solum à me, sed etiam ab omnibus, ad quoscunque tui notitia pervenit. Et erat quidem animus aliquo operosiore argumento eam significationem voluntatis meæ erga te declarare: sed quia nemo dat id, quod non habet; hoc quicquid est, quod habeo, & præstare possum, tibi confero. Nec ullus dubito, & hæc, ob ipsam materiæ præstantiam, grata tibi & accepta fore. Merè enim sacra sunt; quæ quanti facias, & quantopere iis delectère, omnibus, qui te norunt, notissimum est. Certè omnia tibi sordent præ Theologia, ita ut vix etiam aliquid justitiam temporis tribuas Oeconomix, sine quâ tamen quam sit ægrè vitam hanc caducam trahere, neque tibi ipsi dubium esse potest. Deus optimus maximus, cujus tu gloriæ maximè faves, adlit tibi, tuâque studia sancti spiritus sui numine benedicere velit. Atque quæ tibi affero, quæ est tua humanitas, ea fronte accipe, quâ à me tibi traduntur. Vale, & tui amantem redamare perge.

S. P.

Ad Nobilem & eruditione præstantem Virum,

D. SEVERINVM MORSTINIVM.

D OSTE SEVERINE, insignis MORSTINIA proles,
 Ingentâ CHRISTUM qui pietate colis.
 Accipe quæ tenui deduxi Carmina venâ,
 Deprompta ex adytis Carmina sãcta Dei.
 Otia qui variis impendis multa legendis,
 His quoq; volvendis tempora pauca dato.

Iudicium extremum. Matt. 25.

QVANTA futura tua est tunc gloria, quanta potestas,
 Quantaq; majestas, CHRISTE, futura tua est?
 In qua nunc resides, cum te de sede movebis,
 Supremâ nobis adveniente die.
 Qui tibi nunc adstant, totâ stipante catervâ
 Spirituum, quorum est non numeranda manus,
 Cum clangore tubæ resonabunt æthera summa,
 Cunctaq; que vivunt, panicus horror ager.
 Cum vitâ functi ruptâ tellure resurgent;
 In formasq; ibunt corpora viva novas.
 In chaos æternum, cælum, mare, nubila, tellus,
 Et totum Mundi dissolventur opus.
 Ante tuum quando sistentur cuncta tribunal,
 Iudicis ut partes totius Orbis agas.
 Tunc dirimes agnos olidis, ceu Pastor, ab hædis,
 Omnes in partes distribuendo duas.
 A dextris statuesq; agnos, hædosq; sinistris,
 Commemorans partis facta utriusq; sua.
 Deniq; Regna Piis olim decreta, Malisq;
 Assignata diu Tartara nigra dabis.

CHRISTE potens, idem & clemens, da vivere justè,
 Quæ præcepisti, factaq; sancta sequi;
 Ante tuum ut possim consistere deinde tribunal,
 Et tecum ad Patris Regna venire tui.

Ad ingratum, Ibidem.

Tu quicumq; rogare audes tibi Cælica quondam
 Regna dari, pariter discite rogata dare.
 Nam si pane tuo fratrem nec pascis egenum,
 Nec diram sedas fonte fluente sitim.
 Nec das hospitium pro CHRISTI nomine pulso,
 Nec vestis panno pectora nuda tuo.
 Ut releves animum, fratrem nec convenis agrum,
 Nec visis captum, carceribusq; datum,
 Nonné rogas tibi Regna dari, te iudice, frustra
 Cælica, cum dare tu parva rogata neges?

Vita æterna.

DE vita quæ nos scimus, loquimurq; futura,
 Sunt collata ad rem scilicet ista nihil.
 Vel si sunt aliquid, vix hæc millesima pars sunt;
 Mens tantum fulgur cernere nostra nequit.
 Hoc tantum nobis nunc est fas scire, loquiq;
 Quæ sunt hîc, isthic nulla deinde fore.
 Cetera sunt ænigmata, Sphingæq; figuræ,
 Nunc nostrum nemo est Oedipus illa sciens.

A resurrectione vita.

Qui putat astra animas intrare a funeris bara,
 Intuituq; Dei, deliciisq; frui,
 Errat, & a sensu Scripturæ dissona dicit,
 Dissidet a sana tum ratione procul.

Epigrammatum.

Differri sibi iustitiæ dandamq; coronam Timoc. 4.
Summo Iudicii tempore, Paulus ait.
Cultores omnes unâ Veteresq; Novosq; Hebr. 11.
Sistendos Cæli sedibus, author ait.
Ordo duplex revocandorum monstratur in auras, 1 Cor.
Primitiæ CHRISTUS, postea messis erit, 11.
Expectandum animæ corpus; sine corpore namq;
Hæc licet existat, nil agit illa tamen.
Corpus it in cineres, animam conservat at ipsam
CHRISTUS ad adventum providus ille suum.

Discipulo CHRISTI nihil præstantius, nihil utilius.

Matt. 5.

Sit licet invisus cunctis pius a secla CHRISTI,

Sit licet exosus Munde maligne tibi.

Nil illo tamen utilius, nil pulchrius usquam,

Indigeatq; illo quo magis omnis homo.

Est ille immensa Titan niidissimus Orbis,

Est saltam vasti totius ille Soli.

Nam veluti Phæbus magno gratissimus Orbi,

Ceu nil gratius est utiliusq; sale.

Sic CHRISTI cultore pio mortalibus agris

Utilius nihil est, uberiusq; nihil.

Nec sine sole diu posset consistere Mundus,

Nec posent homines deficiente sale.

Sic homines vitâ non posent nempe perenni

Vivere, Christicolâ deficiente pio.

Illustrant radiis animos, & pectora Phæbus

Recreat, exortu lætificatq; suo.

A secla sic CHRISTI Scriptura & lumine vitæ

Collustrat mentes, lætificatq; rudes.

*Sal veluti turpiter a fetore reservat,
 Multa etiam summo servat ab interitu.
 Sic quoq; Christigena a graveolenti crimine multos,
 Et jugi servat perditione viros.*

Argumenta fidei ex parte Dei Rom. 8.

Quid mortem metuam? pro nobis mortuus ille
 Filius est, nostri motus amore, Dei.

Quid mortem metuam? CHRISTUS de morte revixit,
 Qui revocandæ animæ fecit habere fidem.

Quid mortem metuam? CHRISTUS super omnia regnat,
 Qui nos spem vitæ fecit habere novæ.

Quid mortem metuam? nostræ curam ipse salutis
 Pontificis CHRISTUS munus agendo gerit.

Sint tibi, sint grates, tot fulcris quod tibi CHRISTE
 Collibuit nostram certificare fidem.

Vero Christiano nihil felicius.

Felix est fidei CHRISTO qui glutine adheret,
 Illius ex animo lusaq; sancta colit.

Namq; est ille Dei dilectus filius, illum
 Ex asse hæredem constituitq; suum.

Cunctorum ille Dei est hæres, CHRISTIQ; cohæres,
 Proximus est CHRISTO proximus estq; Deo.

CHRISTE, meæ robur fidei, pietatis & adde,
 Ut possim tanto præditus esse bono!

De nomine Iesu.

O vox divina! o superâ de luce profusa!

O vox a summi voce profecta Dei!

Nomen dulce, novum nomen, quod ab Ætheris alto
 Sancto rerum Opifex indidit ore Deus.

Iosue
 He
 Hoc
 Qu
 Huc a
 Ho
 Crim
 Pe
 A ta
 Et
 Vnus
 At
 Huc a
 Inv
 Non e
 In a
 Tam r
 Me
 Hic p
 Im
 Hic ub
 Im
 Astan
 Qu
 Hic le
 At
 O invi
 Def

Epigrammatum.

Iosue quod gessit salvans a Gentibus olim
Hebræos, hujus nominis umbra fuit.
Hoc nomen veris hos salvat ab hostibus omnes
Quos modò nomen in hoc credere cunq; jurat.
Huc anime, huc accede, huic sancto nomini adhere,
Hostibus a servis liber ut esse queas.
Crimine quid pejus? Dæmon. quis Dæmone pejor?
Pessima mors hac quid deniq; morte? nihil.
At tam vesanis nos aserit hostibus istis
Æterni Iesus Filius ille Dei.
Vnus homo hic nobis moriendo restituit rem,
Atq; resurgendo traxit ad Astra Poli.
Huc anima, huc, inquam, propera, pete nomen Iesu,
Invictâ ut sisum te tueatur ope.
Non est, non aliud nomen sub fornice Cæli,
In quo contingi possit amanda salus.
Tâm validæ vires, data tanta potentia Iesu,
Mens capere ut nunquam, lingua referre queat.
Hic pede figit humum, sed vertice tangit Olympum,
Immò & inaccessos occupat ille locos.
Hic ubi majestas summa est, sedesq; beatæ,
Immensiq; sacer Numinis ille thronus.
Astant quem circum Genii, mentesq; serena,
Quorum quis numerum connumerare queat
Hic Iesus residet, qui cum Patre cuncta gubernat,
Atq; locum a dextris occupat ille Dei.
O invictæ tuâ Iesu nos asere dextrâ,
Defer & ad Patris Regna beata tui!

Ad vitam hanc.

Vita incerta, caduca, brevis, miserabilis, hospes
 In Patria, infelix exul in Orbe vago.
 Vita hanc vita, quid ausim nam te dicere vitam?
 Quæ nos incertis ludis imaginibus.
 Verius hic carcer, quam libera vita; suprema
 Mors potius, quam tu vita vocanda mihi.
 Vita inuisa, malis tantis obnoxia, quis te
 Quis cupiat, si non unica Causa foret.
 Nempè, quod illa olim sine te non possit haberi,
 Quæ veræ vita est, altera, digna Deo.
 Ut mihi sis accepta, isthæc facit unica causa,
 Sola hac de causa sis mihi longa precor.
 Qui vitæ dator istius es, vitæq; futura,
 In cuius forti est utraq; vita manu.
 Lumine me verbi, Deus, afflatuq; gubernas,
 Ut post contingat vita futura mihi!

Transfiguratio CHRISTI. Matt. 16.

Solis ad exemplum facies tua, CHRISTE, coruscet,
 Texta albâ longè candidiora nive.
 Hic vult trina pius fieri tentoria Petrus,
 Nempè loci, & Domini captus amore sui.
 Intonat è cælo summo vox alta fragore;
 Filius hic meus est, huius amore flagro.
CHRISTE, quid in toto te magnificentius Orbe,
 Aut quid lucidius, splendidius ré fuit?
 Quanquam externa modò tunc immutata fuere,
 Ipsa caro talis mansit, ut ante fuit.
 Cui te CHRISTE parem, aut similem nunc maxime dicam?
 Quando mutata est & tua sancta caro.

Epigrammatum.

Cum te **CHRISTE** suis Pater optimus intulit Astris,
Naturæ fecit participemq; suæ.
Quid tecum est collata nitens nunc Solis imago?
Caligo, mera nox, cimmeriæ tenebræ.
Ante tuam Genii faciem sua lumina velant;
Tantus **CHRISTE** tuo fulgor ab ore venit.

Ex solo **CHRISTO** Patrem agnosci. Ioh. 14.

TE Patrem agnosco: quis te cognoscere Patrem
Me docuit? Soboles non nisi vera Patris.
Ille voluntatis non notæ nuncius ante,
Ille est vera sui solus imago Patris.
Si vis æternæ promissa agnoscere vitæ,
Si vis sancta Dei nosse statuta Patris.
Si vis affectum blandi cognoscere Patris,
Et vis cara tui cernere corda Dei.
Inspice Doctrinam, Personamq; inspice **CHRISTI**,
Qui jam promissis vescitur ille datis.
Hoc unum est speculum vitæ specimenq; perennis,
Crede mihi, haut aliter noscitur ille Pater.

CHRISTUS cordis scrutator.

In lucem toties produxit **CHRISTUS** apertam,
In cordis tacito que latuere sinu.
Tanta fuit virtus **CHRISTI**, sapientia tanta!
Interiùs mentes respicit iste Deus.

Ne iudicio, sed misericordia.

Qui partes agis, advocate noster,
Orbis iudicis, ò benigne **CHRISTE**,
Æque pro meritis, suisq; factis
Cui vis præmia conferendo digna.

A me sumere pro meis piaculis
 Si pœnas tua sancta fert voluntas;
 Ne confunde precor, tuum severo
 Servum iudicio; at mei misertus
 O lesu vitiiisq; lapsibusq;
 Esto propitiuss, nec acer esto
 Iudex; esto sed acer advocatus.

Mirabilis Deus in suis operibus.

S^Unt opera admiranda Dei non pauca, sed ista
 Summè admiranda, & prodigiosa minus,
 Quæ Deus in CHRISTO nostra Ductore salutis
 Edidit, & cunctis illa videre dedit.
 Parva loquor, quòd cum feta de virgine, sancto
 Numine, progeniem fecerit ille suam.
 Parva loquor, quòd cum donis & viribus auctum
 Equalem in terris fecerit ille sibi.
 Hæc est maxima res, nec fando audita, nec unquam
 Visa, à quo præstans extitit orbis opus.
 Quòd, quem inter medios voluit pendere latrones,
 Nunc lateri summi confidet ille Dei.
 Quòd, cujus fuit in terris fortuna noverca,
 Alitibus pejor, deteriorq; feris.
 Nunc quæcunq; Orbis, quæcunq; amplectitur Æther,
 Omnia possideat; par, similisq; Deo.
 Quòd, Genitori animam qui commendabat, eandem
 Nos commendamus, maxime CHRISTE, tibi.
 O tibi sint grates, qui nostri talia causâ
 Admiranda isthæc feceris, alme Deus!

Solus CHRISTUS via, & veritas, & salus.

A Pa
 Err
 Quis n
 Qua
 Albu
 Lu
 Et Ve
 Ag
 Ni Ve
 Et
 Tu Do
 Sem

Qv
 A
 Tantu
 No
 Nemo
 Ner
 Cui no
 At
 Si mo
 Ad
 Ad ta
 Na
 Hunc
 Orn
 Sic tr
 No

A Patre qui Pastor datus es mortalibus agris,
 Errantes revoca, CHRISTE redemptor, oves.
 Quis non errabit tanta in caligine rerum,
 Quam Mundo in vexit Spiritus ille malus.
 Albumen nisi tu tergas de lumine, Verbi
 Lumine, nosq; tuo Numine, CHRISTE, juves
 Et Verum in tanta quis differitate docentum
 Agnoscer, quis se credere vera sciet?
 Ni Verbi tua fax nobis sit prævia, CHRISTE,
 Et nostra illustres Numine corda tuo.
 Tu Doctor noster, tu vera certa salutis
 Semita; nemo, nisi te duce, salvus erit.

Philanthropia Dei. Luc. 15.

Quàm graphice nobis depicta est Patris imago
 A te, in propitio, CHRISTE, benigne, Deo!
 Tantus amor nunc est in nos, tam fervidus ejus,
 Non sit ut in Gatos in Patre major amor.
 Nemo tam malus est, tam rerum prodigus usquam
 Nemo tam valde flagitiosus homo est.
 Cui non ex animo cupiat dimittere noxas,
 Atq; optet Nati suavis habere loco,
 Si modò pæniteat, si seq; recolligat ipsum,
 Ad Patriosq; focos ille redire velit.
 Ad talis Deus est velocior oscula Nati,
 Natus ad amplexus quàm Patris iste sui.
 Hunc tractat blandè, abjectis centonibus illum
 Ornat vestitu splendidiore Pater.
 Sic transformari, qui convertuntur, oportet;
 Non fas est aliis Astra subire modis.

Actum esse CHRISTUM. Iohan. 15.

NON

Non est non alius (quicquid secus obstrepat orbis)
 Christiani Populi Rex, Dominusq; sui,
 Quam Iesus parvâ ille ortus de Nazareth urbe,
 Numine conceptus, Virgine matre satus.
 Hunc unxit Deus in Vatem, Iordanis ad amnem,
 Flamine delapso cæliiis, atq; sono:
 Filius hic meus est Iesus, meus unicus ardor,
 Huic parère omnes, & dare colla volo.
 Hunc iterum, postquam perfunctus munere Vatis,
 Et morti ereptus, venit ad Astra Poli,
 Vnixit in officium Regis, solioq; locavit
 Ille suo, & rerum sceptrâ gerenda dedit.
 Addidit huic omnes Genios, quos continet Æther,
 Quæis tanquam famulis utitur ille suis.
 Hoc quisquis credit de Iesu, & fidit eidem,
 Ex ipso natus dicitur esse Deo.
 Nempe, quod & CHRISTO divinum gignit honorem,
 Obsequium dictis & parit, ista fides.
 Hincq; ex decreto Patris, veroq; fidelis
 Promisso CHRISTI, manat amanda salus.

Eodem spectat.

DE Iesu ista Fides; quod factus in Æthere summo
 A Patre sit Populi Rexq; Deusq; sui.
 Ad sibi fidentes Cælesti sede locandos,
 Ad debellandos suppliciiq; malos.
 Tollere divinis nos cogit honoribus illum,
 Ejus & internum cogit habere metum.
 Cogit nos etiam decreta capeßere cuncta
 Ejus, & internum cogit ad obsequium

Quid

Quid s
 V m
 Ius ta
 Exi
 Huic e
 Et d
 Iesu co
 Et d
 Terren
 Omn
 Ad pa
 At
 Ius ha
 Inq;
 Sed Ies
 Conj
 Facta
 Et
 Rex, qu
 Qui
 Rex an
 Hoc
 Ius ha
 Pra
 Rex m
 Iesu
 Possid
 Qui
 Rex in
 Imp

Epigrammatum.

Quid sunt ad Iesu collati munia Reges?
 Umbra, vel ipsius sunt simulachra rei.
 Ius tamen humanos mortalis Regis honores
 Exigit, & iustum cogit ad obsequium.
 Huic est terreni commissa potentia Regni,
 Et data terreno frena regenda modo.
 Iesu commissa est utriusq; potentia Regni,
 Et data Cœlesti frena gerenda modo.
 Terrenus tantum Genti Rex imperat uni,
 Omnibus his Iesus quas vagus Orbis habet.
 Ad parvum durat spatium terrena potestas;
 At Iesus Regni iura perennis habet.
 Ius habet in corpus tantum Rex terreus omnis,
 Inq; animam ille potest juris habere nihil.
 Sed Iesum penes est in utrumq; potentia summa,
 Conservare potest, perdere utrumq; potest.
 Facta externa modo Rex cernit & æstimat idem,
 Et mentes nostras iudicat iste Deus.
 Rex, quæ Mundus habet, tantum bona possidet ista,
 Quicquid ubiq; boni est, omnia Iesus habet,
 Rex auferre potest, nequit autem reddere vitam,
 Hoc facere omnipotens Iesus utrumq; potest.
 Ius habet & lethi, Stygii quoq; fluminis, isthuc
 Præcipitare potest, & revocare potest.
 Rex mundanus habet bona spiritualia nulla,
 Iesus Cœlestes possidet unus opes.
 Possidet ille Dei sacrum spirabile Numen,
 Quin immortales possidet ille domos.
 Rex in carnales hostes; sed noster in omnes
 Imperium exercet spirituale, Deus.

Talis & est tantus, super axe, a Patre creatus

Hic Iesus Populi Rex, Dominusq; sui.

Inferiora illo sunt cetera cuncta, suosq;

Commissum Imperium cum Patre Iesus habet.

Cui quisquis fidei (merito autem fidere debet)

Ex summo genitus dicitur esse Deo.

Talis enim doctrinae ejus constanter adheret,

Credens Praeceptis, Pollicitisq; Dei.

Talis divina permotus amore salutis,

A Patre quam nobis attulit ille suo,

(Cujus firmandae causam miracula fecit,

Atq; lubens animam tradidit ille suam,

Quam post in vitam revocatio vera sequuta est,

Et Patri a dextris sessio in Arce Poli.

Regia majestas, Caeli subjectio, terraq;

Et quicquid Caelum, Terraq; quicquid habet)

Talis quin, inquam, existat Pietatis amator,

Et vite verax a secula, CHRISTE, tuae,

Non dubium est; namq; est contemptor nemo salutis

Ipse suae; studio nemo perire velit.

Exq; Deo demum hoc, si nescis, denuo nasci est,

Hoc summi Gnatos nos facit esse Dei.

Hoc immortales, hoc nos post funera vitae

Naturae similes & facit esse Dei.

Quem Mundus spernit nunc turgidus, o ego Iesu,

Et CHRISTUM credam te, Dominumq; meum!

IN STEPHANUM protomartyrem Christi,

Act. 7.

Felix Martyrii cui prima corona paratur,

Qui roseo primus sanguine tingis humum!

Cui san

CH

Quem p

Inq;

Et mibi

Ad n

Sim quo

Ac

Ille vir

Non

Nomen

Que

Non int

Que

Non int

Que

CHRI

Ad

TE fin

Te fir

Nec qui

Cun

Sed Di

Quo

Nec scir

Que

Affectu

Fig

Epigrammatum.

Cui sancti facies genii resplendet ad instar,
CHRISTUS & in fato conspiciendus adest.
Quem pro vesani exoras hostibus, ejus
Inq; manus animam das moriendo tuam.
Et mihi da vires tantas, animumq; paratum,
Ad mala pro verbo perpetienda tuo.
Sim quoque tunc turpi vindictæ liber ab æstu,
Ac moriens animam dem tibi, CHRISTE, meam.

Vera felicitas in quo consistat, Mat: 7.
Ille vir est felix tua qui præcepta tuetur,
Non qui, CHRISTE, tuum nomen in ore gerit,
Nomen in ore gerit tantum, virtutis at osor,
Quæ prohibes verbo, facta nefanda patrat.
Non intrat cor immundum purissimus, olim
Quem promissisti, spiritus ille tuus.
Non intrat pravo vir crimine scædus in illa,
Quæ promissisti, regna beata, tuus.
CHRISTE, tuo afflatu possim regnoq; fruisi,
Ad præstanda tuo numine jussa juva.

CHRISTUS lux mundi, Ioh: 8.
TE sine, CHRISTE, quid est mundus, nisi noctis imago,
Te sine quid vita est, mortis imago nisi.
Nec quis sit sciri potuit mundi unicus auctor,
Cunctarum & rerum conditor, ille Deus.
Sed Di tot fuerant illi, quot nomina rerum,
Quorum fingendi non modus ullus erat.
Nec sciri potuit, quæ sit divina voluntas,
Quæ facienda illi, quæ fugienda forent.
Affectus, non mens, vivendi norma fuere,
Figmentum cordis quinq; secutus erat.

Et quanquam lex lata fuit, quæ nosse dotebat,
Unius numero numini esse Deum.

Quæ cultus velletq; coli ratione monebat,
Is Deus, & vice multa statuta dabat.

Ad patresacta Evangelicæ tuæ dogmata Legi
Quid sunt ista tamen? sunt ea penè nihil.

Vel si sunt aliquid, minime sunt luci ad instar,
Quæ vix spectari lumine fortè queant.

Quod sax ad solem est (si sax componere magnis
Parva) vetus lex est assimilata novæ.

Lex genti tantùm lucebat, ut hesperus, uni,
In toto mundo cætera nocti erant.

At CHRISTUS cœsol, medio cùm sistitur orbe,
In toto mundi lucet ubique solo.

Ille docet, quis sit Deus is, qui cuncta creavit,
Ille docet, quàm nos more parenti amet.

Ille docet, quo sit legato ad munia tanta
Vsu, ab ætherei, ad loca nostra, loci.

Nimirum sese, patrù qui sancta propago est,
Sancto prognatus numine, plenus eo,

Te veniente abeunt nebula, noctiq; tenebræ,
Nube venit pulsâ te veniente dies.

Dic ubi vanorum jam sunt responsa Deorum?
Nunc ubi falsorum sunt simulachra Deùm?

Dic ubi sunt horum lacri, ritusq; colendi?
Nunc ubi gentili fœda superstitio?

Non secùs hæc CHRISTUS toto discussit ab orbe,
Quàm solet hybernas sol abolere nives.

Tu mundum illustras veræ agnitione salutis,
(Cujus in orbe prius mentio nulla fuit)

Epigrammatum.

Tuq̄ modum monstras vite melioris agendi,
Sicq̄ doces hujus quale salutis iter.
Immo hanc in sese ostendū modò, CHRISTE, salutem,
Cum Patre, quā multo tempore jam frueris.
Quid dico ostendis? dator es modò, CHRISTE, salutis
Istius, equalis factus in axe Dei.
O verè obscuri lux, CHRISTE, ipsissima mundi,
Illustra verbi lumine cuncta tui!

Conditio CHRISTI, & fidelium in hac vita,
Luc: 9.

Quid mirum, tua si tam pauci, CHRISTE, sequantur
Terga, & sint comites in pietate tui?
Cum tua tam vilis fueris, comitumq̄ tuorum
Conditio ex nutu tam sit acerba Dei.
Ad reclinandum sanctum caput ut tibi CHRISTE,
Nec domus ulla esset, nec reges ulla foret.
Astute sua sunt latebrosa cubilia vulpi,
Quē se cum catulis contegat illa suū.
Est ramosa arbor volucris, sibi garrula gratos.
Quā fingit nidos, & quasi tecta parat.
Dererior locus hic tibi tunc fuit, optime CHRISTE,
Qui nunc in cæli regna beata tenes.
Sed neque nunc melior fors expectanda tuorum,
Qui tecum ad regni scepra venire volunt.
Ad cuncta esse pii debent extrema parati,
Ad paupertatem, vincula, flagra, crucem.
Arcta via ad superos concessa est munere patri
CHRISTE tui; hac tecum nos decet ire viā.
Quid mirum ergo, quod hic pauci tua, CHRISTE, sequantur
Terga, & sint comites in pietate tui!

Libet

Immo hoc est mirum, quòd qui tua, CHRISTE, sequantur
 Terga, & sint comites in pietate tui,
 Hos miser os! quos urget amor sceleratus habendi,
 Quosq; facit tumidos ambitiosus honos.
 Tum quos delectat virtuti inimica voluptas,
 Quosq; juvat Venerù castra nefanda sequi.
 Qui renuunt & damna pati, pro nomine CHRISTI,
 Et renuunt sancta pro pietate mori.
 Non isthac nobis ad regna præivit olympi,
 Non hac pervenit CHRISTUS, ad astra via.
 Hac est lata via; hâc facilis descensus averni,
 Hâc itur tristes ad Phlegetontis aquas.

Publicanus Luc: 15.

Talia qui Doctor nobis exempla canebas,
 CHRISTE potens, famuli tu miserêre tui,
 Namq; ipse aethereo venisti missus olympo
 A Patre deletum crimina nostra tuo.
 Et mea tam sædi commissum conscia quondam
 Pectora terrificat criminis omne genus.
 Et mea non ausim sustollere lumina turpis
 Ad cœli infelix ostia sancta tui.
 Sed procul hinc restans, & terram pronus ad istam
 Mæsta manu geminans pectora tundo meâ.
 Redde precor justum, justissime, redde, tuq;
 Confirma famulum numine, CHRISTE, tuum.
 Sic & ego toto reddam tibi pectore grates,
 Et post justitiæ verus amator ero.

Propinqui CHRISTI, Luc: 8.

O tecum IESU conjunctio quanta tuorum!
 Illos quàm tecum copulat acer amor!

Hic dul.

Epigrammatum.

Hi dulces fratres, hi mellitæq; sorores,

Immo sunt isti mater amata tua.

Atqui CHRISTE tui sunt hi? gaudere profecto

Qui tantâ tecum proximitate queunt?

Qui præcepta Dei faciunt, parentq; iubenti

Qui tibi: que tecum glutinat alma fides.

O & me, pie CHRISTE, tuis adijunge propinquis:

O & me fidei glutine junge tibi!

CHRISTUS omnia.

Quò magis involvit sese quis rebus in orbe,

Sedulus & Crasi captat avarus opes.

Hoc magis à CHRISTO, veraq; salute recedis,

Et magis excutitur stultus amore Dei.

Sola salus CHRISTO servire; obnoxia fraudi

Cætera sunt: revoca, si sapi, inde pedem.

Quid queri præter CHRISTUM? nil omnia, nil sunt

Hoc sine, cum CHRISTO cætera dives habes.

Ad CHRISTUM pro anima.

Commendâsti animam quondam tu CHRISTE parenti,

Hanc ego commendo nunc, pie CHRISTE, tibi.

Carceris hanc molem postquam dissolveris ejus,

Corporis & fueris libera ab exuvii.

Vnde erat, hæc illò redeat, CHRISTE optime, mundi

In gremio expectans fata suprema tuo.

Et quia nulla modò sine corpore gaudia sensit,

Nec te, nec Patrem laudat inepta tuum.

Quando immortalis fuerit circumdata rursus

Corpore, divino munere CHRISTE tuo.

Sentiat & tecum vera nova gaudia vite

Laudet & apta dein teq; Patremq; tuum.

Credens in CHRISTUM, quisquis sit, & ubi ubi sit,
est Ecclesiæ membrum.

Quid tibi per totam diffusa Ecclesia mundum

Queritur, & cætus sparsus ubique Dei?

Quinquies, in nomen verè si velis Iesu,

Qui nunc in cæli regia sceptrâ gerit.

Si præscripta ejus sequeris, si spiritus ejus

Aurâ divinâ te regit atque favet.

Hoc ipso facto jam cætus portio CHRISTI,

Iam sacer in CHRISTI corpore surculus es.

Quid stas iudicii hominum? quid fulmine? qui te

De tanto cupiunt præcipitare gradu.

Tu modò fide Deo, mandata fideliter urge,

Et crede in CHRISTUM non dubitante fide.

Non vis dira virum, non vis Acherontii opaci,

Isto te poterit ulla movere loco.

Est immota tui veracis regula CHRISTI,

In verbo vicibus tot repetita Dei:

In me qui credit, manabunt flumina plena

De ventre illius viva perennis aque.

In me qui credit, post tristia non perit ille

Funera, sed vitæ jura perennis habes.

Talia conveniunt cui dono munera CHRISTI,

Quem regit alma fides, & regit aura Dei.

Quæ vii est, istum, quæ tantâ potentia CHRISTI

Ut queat à cætus abripuisse sinus?

Proquæ salutarifero, quod habemus, dogmate, proquæ

Sint IESU, grates, agnitione tui!

Extremi iudicii status.

Igni-

Epigrammatum.

Ignigeno e Cælo rediens cum turbine **CHRISTUS**
Delebit iudex omne quod esse vides.

Tali erit facies, tali mutatio rerum,

A primo qualis tempore nulla fuit.

Astra, mare, & tellus, & Mundus deniq; totus,

In Chaos antiquum, dissoluatur onus.

Flagitiosorum genus exitiale Virorum,

Detrusum preceps ibit ad ima Stygi.

Horrida Tartarei Phlegetontis numina pœni,

Exercebuntur, quas meruere, suis.

Captiva in letum ducetur & illa triumphum,

Quæ nunc humanum demetit omne genus.

At pia Corda Virum, nullum obnoxia fati

Amplius, intrabunt Regia tecta Poli.

Accedent Geniū civesq; noviq; coloni,

Cum quibus eternum fœdus amorū erit.

Viridior species illi astro, oraq; longè

Illustri Phæbo splendidiora gerens.

Tum se, quod summum est, altissimus ipse fruendum

Quotidieq; illi & sine fine dabit.

Premia tanta bonis venient, tormenta nefandis

Talia, res ipso sic statuente Deo.

Fac mihi contingant isthæc quoq; premia, **CHRISTE,**

Namq; dorem horum te Pater ipse dedit

Mundus adversatur Deo.

Nil bene Munde faciis studia in contraria curris!

Niteris adversum stulte faciūq; Deum.

Quid non audebis, te quando opponere tentas,

Cum magnoq; audes belligare Deo?

Is tibi de summo Legatum misit Olympo,
 Conspicuum donis, prodigiūq; Virum;
 Qui Patris efficiens operā commissa fideli,
 Non renuitq; pati, non renuitq; mori.
 Vt te, quod tendis, Stygio revocaret ab Orco,
 Ad sacra teq; suā duceret Astra viā.
 Nam tibi proposuit vitæ promissa perennis,
 Et docuit quo sint percipienda modo.
 Hic redivivus humo, jam percipit illa, simulq;
 Cum Patre in rutilo consistet ille throno.
 In quoquam non est alio spes ulla salutis,
 Hunc præter nemo Regna futura dabit.
 Huic fidendum igitur, mos est huic, Munde, gerendus,
 Huic sese totum sanctificare juvat.
 Tu verò placitū, (tanta est insania) mavis
 Herere alterius, lusaq; vana sequi.
 Quem Deus haut misit, CHRISTO contraria cuncta
 Qui facit, & latā te jubet ire viā.
 Hunc ardes, hujusq; pedes tu pronus adoras,
 Heu! nec mancipium te pudet esse suum.
 Causa nec ulla alia est, nisi quòd des premia vitæ
 Istius, & liceat vivere pro libitu.
 Dic Munde infelix, inquam dic, si sapi, hoc est
 Cum magno si non belligerare Deo?
 Stulte, pedem revoca, ne sis tibi ludicra, ne sis
 Res ira de Corio ludere, Munde, tuo.
 Quin potiùs rerum Domini, Regūq; potentia
 Agnosci CHRISTI munia sancta Dei?
 Quin ejus, sub spe vitæ meliorū habende,
 Subdū tam suavi colla superba jugo?

Aspira
CCvr
A

Desin

Vir

Hinc

C

Hinc

C

Hinc

Po

Mult

Se

Qv

Esto

N

Hac

C

Tale

N

Tale

F

Hac

E

Epigrammatum.

Aspira ad Cælos, vestigia sacra sequutus
CHRISTI; non aliū itur ad Astra modū.

Cur sint pauci fideles?

Cur sint tam pauci mirari in Orbe fideles,
ACHRISTO tritum qui, sequantur iter?
Desine mirari, non est rationis opertes;
Virtutis durum est quoddam Pietatis opus.
Hinc fuerant pauci vestigia sancta sequuti
CHRISTE tua, huius, tui rarus amator eras.
Hinc qui vixisset sancte tua verba sequutus
CHRISTE, & Apostolico tempore rarus eras.
Hinc te ipso dicente, fides cui vera futura est,
Postremo Mundi tempore, rarus eris.
Multi sunt homines, qui CHRISTI nomine gaudent,
Sed pauci CHRISTI quos pius uris amor.

Via ad Cælos quæ sit?

Quisquis scire cupit, quænam via ducat ad Astra?
Accipe, non gravus est ista docere labor.
Esto tui pius ad Verbum, normamque Magistri,
Nec renuas vera pro pietate mori.
Hac iter in Cælum est, hac nobis ipse praeivit
CHRISTUS, servandi duxque, caputque, Gregis
Tale genus vite CHRISTUS propè duxit in Orbe,
Non hominem, at possit quale decere Deum.
Tales perpeßus cruciarum, tale subivie
Fumus, latrones quale subire solens.
Hac tamen immensum redivivus adivit Olympum,
Et nunc aeterni pascitur ore Dei.

Liber Epigrammatum.

*Frustrà desudas aliū in rebus, & urges
Cetera, Cælorum qui cupis esse decus.*

Eodem pertinet.

*A*Vrea, si nesci, quenàm via ducat ad Astra,
Accipe quam monstrat Filius ipse Dei:
Aurea, ne dubites, hac te via ducet ad Astra,
Si servas summi tradita iussa Dei.
Crede Dei Nato, non est alia ulla qua cunctos
Aurea Mortales ducat ad Astra via.

